

PHAEDRI
LIBER QVINTVS.

P O E T A.

Cum destinassem operis habere terminum
 In hoc, vt aliis esset materiae satis:
 Consilium tacito corde damnaui *meum*.
 Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*,
 Quo pacto diuinabit, quidnam omiserim, 5
 Vt illud ipsum cupiat famae tradere?
 Sua cuique cum sit animi cogitatio,
 Colorque proprius. Ergo non leuitas mihi,
 Sed certa ratio, causam scribendi dedit.
 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10
 Quas Aesopeas, non Aesopi, nomino,
 Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero,
 Vtius vetusto genere, sed rebus nouis,
 Quarum libellum dum vaciue perleges.
 Hunc obtrectare si volet malignitas, 15
 Imitari dum non possit, obtrectet licet.
 Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
 Vestras

Vestras in chartas verba transfertis mea,
 Dignumque longa iudicatis memoria.
 20 Inlitteratum plausum nec desidero.

1. *Operis habere terminum.*] Codices, *terminum operis habere*, pro quo Bentl. post Gud. et Gronovium, *operi statuere*; Burm. *ponere*, qui tamen vulgati causam agit, et, *terminum habere* Latinum esse, credibile facit, at non ea significatione, qua hic legitur, pro *finire*, *finem facere*.

3. *Meum.*] Haec vox deest in scriptis, cui locum hic esse primus putavit Salmasius, Gron. et Burm. prius coniciunt, Bentl. *statim*, quod non veri simile.

4. *Artifex.*] Haec quoque vox a Rigaltio ex coniectura accessit: magis placet doctioribus Freinsheimii, *tituli est appetens*. Gudius *studii diligens*, Bentl. *Nam si qui talis etiam tituli est aemulus*.

5. *Quidnam omiserim.*] Quo vitia et homines huius saeculi notari possent. Non poterit diuinare, quas ego fabulas in homines, aliis hoc tempore molestos, iam compositas supprefferim.

6. *Vt illud ipsum.*] Codices, *ut illum ipsum cupiam*.

7. *Sua cuique cum sit animi cogitatio.*] Bentl. *Sua cuique cum sit animi conscientia doloque proprius*.

12. *Quasi paucas.*] *Quasi suspectum est* Gudius et Burmanno. Hic integrum locum ita legendum existimat.

*Quare Particulo, quoniam caperis fabulis,
 (Quas Aesopeas, non Aesopi nomino,
 Qui paucas ostendit, ego plures dissero,
 Vfus vetusto genere, sed rebus nouis)
 Harum libellam dein vacue perleges.*

Bentl.

Bentl. quia alter codex, quasi paucas tales ostendit, alter ille ostendit, legit: *Quia paucas ille ostendit, ego plures fero.*

14. *Vacue*] Codices varie. Bentl. *Quintum libellum, cum vacavit, perleges.*

18. *Vestras in chartas verba transfertis mea.*] Burmannus, Phaedrum fabulas suas inter amicos, super coenam, atque in circulis, recitasse singulas, easque ab aliis, qui aderant, in codicillos et pugillares transscriptas, credit. Postquam itaque illas ipse edidit, eas dein *vacue* perlegi posse, dicere potuit.

20. *Inlitterarum plausum nec desidero.*] Codices *In litterarum plausum ire desidero.* Ita vero, ut editur, emandavit Scioppius, suffragantibus doctissimis fere omnibus.

P O E T A.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem, quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt, nouo §
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento. Fabulae exaudiant
Adeo fugatae. Plus vetustis nam fauet
Inuidia mordax, quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror. IO

5. *Nouo si marmori.*] Locus corruptissimus. Singulorum coniecturas hic libellus non capit. Bentleius:

*Qui pretium operibus maius inveniunt nouis,
Si marmori adscripsere Praxitelen, Scopan*

G

Aeri,

*Aeri, Myronem argento, tabulae Zeuxidam.
Adeo fucatae plus vetustati fauet
Invidia mordax, quam bonis praesentibus.
Burmannus: Praxitelem, suo*

*Myronem argento. Fabulae sic exeant
A me fucatae.*

Vel quia detrito est in codice:

*Trito Myronem argento. Fabulae et audians
A me fucatae.*

Audians explicat, dicantur antiquae Aesopi, licet a me sint ornatae et compositae, nomine Aesopi interposito.

10. *Talis exempli.*] Non convenire his videtur sequens fabula de Menandro. Sed deest finis eius fabulae, ut nihil certi statui possit.

FAB. I.

DEMETRIUS ET MENANDER.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenis occupavit imperio improbo.

Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt:

FELICITER subclamant. Ipsi principes

5 Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,

Tacite gementes tristem fortunae vicem,

Quin etiam resides, et sequentes otium,

Ne defuisse noceat, repunt ultimi.

In quibus Menander, nobilis comoediis,

10 Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,

Et admiratus fuerat ingenium viri,

Vnguento delibutus, vestitu adfluens,

Veniebat gressu delicato, et languido.

Hunc

Hunc vbi tyrannus vidit extremo agmine,
 Quinam cinaedus ille in conspectu meo
 Audet venire? responderunt proximi,
 Hic est Menander scriptor. Mutatus statim.

51

1. *Qui dictus est Phalereus.*] Burmannus penultimam vocis *Phalereus* producendam putat, ideoque non optimo exemplo, hunc verum transpositum dat,

Demetrius Phalereus qui dictus est.

In eodem errore fuerunt alij plures, quorum doctrinam nos quoque admiramur. Cur vero producat peultima? cum Graece vox scribatur *Φαληρεὺς*, et Latine quoties quatuor syllabis effertur, necessario ultimae proximam breuem habeat. Quod si fecus esset, quartum casum non *Phalerea*, sed *Phalereum* daret, a *Φαληρεῖος*, quo tamen Graeco nemo vsus est. Sed haec pluribus disputaui ad Vechneri *hellenolex.* p. 41. quibus adde Quintilian, lib. X. cap. 1. p. 902 Burm. vbi in variis lectionibus iterum legitur *Phalerea illum Demetrium*. De quantitate huius vocis ita, a me quondam consultus, rescripsit elegantis ingenii et doctrinae vir, Io. Henr. Kromayerus, longiore vita dignissimus. *Certum est, Phalereus verbum penultimam porrectam nec habere, nec posse, cum in Graeco Φαληρεὺς sit, quod habemus apud Suidam, Lucianum ac Diogenem Laertium: ex quo sequitur, ut iure mirer, ad Phaedri locum, quem recte ad testimonium citas, tantopere nuper (scripta est epistola XII. cal. Oct. c10 MDCCXXVIII.) τὸν πάνυ Burmannum fluctuasse.*

3. *Ruit.*] *Ruit* codices, vnde Benth. *ut mos est, vulgus passim et certatim ruit, Feliciter subclamat.* Burm. ita *suclamans* legendum, monet.

4. *Ipsi principes.*] Distinctionis huius auctor est Rittershusius.

7. *Sequentes orium.*] Litterarum studiosi, maxime poëtae, in quibus Menander.

8. *Repunt.*] Cod. *repetunt*, vnde *reptant* Bentl.

12. *Vestitu adfluens.*] Cod. *Perott. fluens*, vt Heinsius coniecerat.

15. *Quinam.*] Bentl. *quisnam* quod vtrumque suos auctores habet.

In conspectu meo.] Hoc tolerari potest: Perotti tamen codex, *in conspectum meum*. Innumerae MSS. exempla possent proferri, vbi haec variant, multumque falluntur, qui ea non a librariis, sed ab auctoribus omnia esse, sibi persuadent.

FAB. II.

VIATORES ET LATRO.

Et vindicauit sese forti dextera.

Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium: dein reiecta pënula,
Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat,

5 Quos adtentarit. Tunc qui depugnauerat:
Vellem, istis verbis saltem adiuuisses modo,
Constantior fuisset, vera existimans.

Nunc conde ferrum, et linguam pariter futi-
lem,

Vt possis alios ignorantes fallere.

10 Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuae.

illi

Illi assignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

1. *Et vindicauit sese.*] Initium huius fabulae in Perotti codice tale est.

*Duo cum incidissent in latronem milites,
Vnus profugit, alter autem restitit,
Et vindicauit sese.*

Sed videtur aliquid praecessisse de iactata ab hoc milite fortitudine. Plenius lacunam expleuit Burmannus.

*Iter per silvas forte cum facerent duo,
Quid? si latrones, inquit vnus, aduolent,
Et nos infesto imbelles ferro inuaderent?
Ne timeas, inquit alter, hac ego manu,
Latrones toties qua feroces repuli,
Iter securum solus praestarem tibi,
Et tu virtutis esses spectator meae.
Dum pergunt, subitus ex insidiis exsilit
Mucrone stricto latro. Qui iactauerat
Verbis virtutem, socium deserens fugit,
Et pugnae euentum spectans restitit procul.
Alter ruentis in se sustinet impetum,
Et vindicauit.*

3. *Reiecta penula,*] In tergum reiecta, non in terram deiecta.

11. *Scio quam.*] Vulgo quod, vt hodie vulgus indoctum loquitur. Sed quam, non Gronouius tantum, Scheffero, Benteio, Burmanno et Gesnero in thesauro Fabriano tom II. p. 423. suffragantibus, legendum vidit; sed et Perotti codex hoc loco reddit. Quare nihil iam praesidii in hoc loco est barbarismorum patronis.

FAB. III.

CALVVS ET MVSCA.

Calui momordit musca nudatum caput:
 Quam opprimere captans, alapam sibi duxit
 grauem.

Tunc illa inridens: punctum volucris paruulae
 Voluisti morte vlcisce; quid facies tibi,
 ¶ Iniuriae qui addideris contumeliam?

Respondit: mecum facile redeo in gratiam,
 Quia non fuisse mentem laedendi scio;
 Sed te, contenti generis animal improbum,
 Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
 Optem necare, vel maiore incommodo.

Hoc argumentum, veniam magis dari, docet,
 Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens:
 Illum esse quauis poena dignum iudico.

3. *Inridens.*] Scheffer. *ridens*, quod Nilantius fabulator confirmat. Perottus tamen, *hunc illa irridens*.

5. *Iniuriae qui addideris contumeliam.*] *Contumelia* erat, quod caput verberauerat, alapa enim contumeliosa habebatur: iniuria, quod non iure muscam voluerat occidere. Burn.

7. *Quia non.*] Bentl. *cui non*.

11. *Hoc argumentum.*] Quia tertius versus huius epimythii vel superuacuus, vel, si *quantus* legatur, ineptus et absurdus videtur, totam sententiam mutare placet viris doctis. Gudius legit:

*Hoc argumento veniam tam dari docet,
 Qui casu peccat, quam qui cetera.*

Haec

Haec vero sententia falsa est, et illum refertur ad postremum. Bentleins:

*Hoc argumentum veniam dandam illi docet,
Qui casu peccat. Nam qui consilio est nocens.*

Magis certe in MSS. non est. Burmannus:

*Hoc argumentum veniam modo docet dari,
Qui casu peccat. Nam qui consilio est nocens,
Illum esse quavis poena dignum iudico.*

FAB. IIII.

HOMO ET ASINUS.

Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi,

Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iussit reliquias poni hordei.

Quas aspernatus ille sic locutus est:
Tuum libenter profus adpeterem cibum,
Nisi qui nutritus illo est, ingulatus foret.

Huius respectu fabulae deterritus,
Periculosum semper vitavi lucrum.
Sed dicis; qui rapuere diuitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprehensi perierint: 10
Maiorem turbam punitorum reper es.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

1. *Sancto.*] *Sanco*, quod quidam suspicantur, Burmanno affectatum nimis videtur.

8. *Vitavi.*] Cod. Pithoei *reputavi*, vnde Burmannus *recusavi*, et, vt metro satis fiat, legit *periculosum semper* (vel *periculosum saepe*) *recusavi lucrum*.

9. *Qui vapuere.*] Benti. *latuere*, quod vero alienum.

10. *Perierunt.*] Neuelet. *perierunt*. Vid. ad lib. III. fab. XXI. 15.

FAB. V.

SCVRRRA ET RVSTICVS.

Prauo fauore labi mortales solent,
 Et, pro iudicio dum stant erroris sui,
 Ad poenitendum rebus manifestis agi.
 Facturus ludos quidam diues nobiles,
 5 Proposito cunctos inuitauit praemio,
 Quam quisque posset, vt nouitatem ostenderet.
 Venere artifices laudis ad certamina.
 Quos inter scurra, notus urband sale,
 Habere dixit se genus spectaculi,
 10 Quod in theatro nunquam prolatum foret.
 Dispersus rumor ciuitatem concitat:
 Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
 In scena vero postquam solus constitit,
 Sine adparatu, nullis adiutoribus,
 15 Silentium ipsa fecit expectatio.
 Ille in sinum repente demisit caput,
 Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
 Verum vt subesse pallio contenderent,
 Et excuti iuberent. Quo facto, simul
 20 Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri rusticus. Non mehercule
 Me vincet, inquit; et statim professus est,

Idem

Idem facturum melius se postridie.
 Fit turba maior. Iam fauor mentes tenet, 25
 Et derisuri, non spectaturi, sedent.
 Vterque prodit. Scurra degrunnit prior,
 Mouetque plausus, et clamores fuscitat.
 Tunc simulans sese vestimentis rusticus
 Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet, 30
 Sed in priore quia nil compererant, latens)
 Peruellit aurem vero, quem celauerat,
 Et cum dolore vocem naturae exprimit.
 Adclamat populus, scurram multo similius
 Imitatum, et cogit rusticum trudi foras. 35
 At ille profert ipsum porcellum e sinu,
 Turpemque aperto pignore errorem probans,
 En, hic declarat, quales sitis iudices.

P O E T A.

Adhuc supersunt multa, quae possim lo-
 qui,
 Et copiosa abundat rerum varietas: 40
 Sed temperatae suaves sunt argutiae,
 Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
 Particulo, chartis nomen victurum meis,
 Latinis dum manebit pretium litteris.
 Si non ingenium, certe breuitatem adproba, 45
 Quae commendari tanto debet iustius,
 Quanto poëtae sunt molesti validius.

4. *Nobiles.*] Sequor Heinf. Scheffer. et Burm.
 At cod. Perotti, *dines quidam et nobilis*, quod prae-
 fero.

17. *Porcelli vocem.*] Cod. Perotti, et sic porcellum voce imitatus est sua. Légerem, Et sic porcelli vocem imitatus est sua.

20. *Laudibus.*] Cod. Pith. *lancibus*, quae inter dona aliquando fuerunt: sed false hic Burmannus veretur, ne scurra, oneratus lancibus vndique congestis, praemio suo, Tarpeiae virginis modo, elisus fuisset.

25. *Mentes tenet.*] Favor erga scurram eos adeototos occupauerat, vt non possent vere iudicare. Burm.

26. *Et derisivi, non spectaturi sedent.*] In cod. Pith. fuit, *derisivos non spectaturos sitis*: in Remens. pro *sitis* erat *sit et*. Heinl. *Vt derisivos, non spectaturos scias*. Hoogstrat. *Et derisores, non spectaturos sedent*. Burmannus mallet, *Et derisivos, non spectaturos putes*. Quia vero codex Perotti etiam cum ceteris conuenit, in quo est, *Et derisurus non secuturus* (pro *spectaturus*) *sedet*, ita legendum, non *sedent*.

27. *Degrunit.*] Ita codex Perotti, vt docti voluerant. Al. *digrunit*.

30. *Scilicet.*] Re vera, non, vt illi credebant, per lusum et iocum.

31. *Latens.*] Refer ad *faciebat*, id est, latenter, eos fallens, ita vt non deprehenderetur.

37. *Aperto pignore.*] Burm. certo suspicatur, nec tamen vulgatam lectionem damnat. Perott. *errorem exprobrans*, quod verum puto.

39. *Loqui.*] Burmannus haec a Phaedro super coenam aur in amicorum conventu dicta credit. Vide supra ad prol. huius libri.

41. *Suaues.*] Bentl. *suave*, quamuis argutiae praecedat, quod vtrum Latine dicatur, dubitat Burmannus.

45. *Adproba.*] *Burm.* non displicet *adprobo*,
scilicet tibi.

FAB. VI.

DVO CALVI.

Inuenit caluus forte in triuio pectinem:
Accessit alter, aequae defectus pilis,
Eia, inquit. in commune, quodcumque est lucri,
Ostendit ille praedam, et adiecit simul:
Superum voluntas fauit; sed, fato inuido, 5
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro inuenimus.
Quem spes delusit, huic querela conuenit.

7. *Huic querela conuenit.*] *Bentl.* huic querela haec
conuenit: Rittershus. haec querela conuenit.

FAB. VII.

PRINCEPS TIBICEN.

Vbi vanus animus, aura captus friuola,
Adripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta leuitas ducitur.
Princeps tibicen notior paullo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare. 5
Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegna rapitur, concidit casu graui
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus, et multum gemens 10
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad

- Ad sanitatem dum venit curatio,
 Vt spectatorum mos est, et lepidum genus,
 Desiderari coepit, cuius flatibus
- 15 Solebat excitari saltantis vigor,
 Erat facturus ludos quidam nobiles,
 Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
 Adducit pretio, precibus, vt tantummodo
 Ipso ludorum ostenderet sese die.
- 20 Qui simul aduenit, rumor de tibicine
 Fremit in theatro: quidam adfirmant mortuum,
 Quidam in conspectum proditurum sine mora,
 Aulaco misso, deuolutis tonitrubus,
 Dii sunt locuti more translaticio.
- 25 Chorus reducto tunc, et notum canticum
 Imposuit, cuius haec fuit sententia:
 Laetare incolumis, Roma, saluo principe.
 In plausus consurrectum est. Iactat basia.
 Tibicen gratulari fautores putat.
- 30 Equester ordo stultum errorem intelligit,
 Magnoque risu canticum repeti iubet.
 Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
 Totum prosternit: plaudit inludens eques,
 Rogare populus hunc coronam existimat.
- 35 Vt vero cuneis notuit res omnibus,
 Princeps, ligato crure niuea fascia,
 Niueisque tunicis, niueis etiam calceis,
 Superbiens honore diuinae domus,
 Ab vniuersis capite est protrusus foras.

4. *Norior paullo.*] Hanc itidem fabulam Phae-
 drus in mensa Particulonis, aut alterius patroni,

narrasse videtur Burmanno. Hic itaque Princeps, tibicen, paullo notior ab eo dicitur, illo nimirum scurra, de quo fab. V.

8. *Necopinans.*] Codices *necopia sed*, pro *necopinans et*: Bentl. post Neueletum *necopinus*, vt lib. I. fab. VIII. 6. quod vero a vestigiis scriptorum librorum recedit.

17. *Et incipiebat.*] Codices, *Et incipiebat Princeps abduci reum, ingredi a se reducit pretio.* Rigaltius ex his coniecit: *Et incipiebat Princeps ingredi.* Eum *Adducit pretio* pr. Bentl. *Et ut incipiebat posse Princeps ingredi, Inducit pretio, precibus.* Post omnes Burmannus: *Vt incipiebat per se Princeps ingredi, Adducit pretio, precibus.*

20. *Qui simul aduenit.*] Cum dies ludorum aduenit, non tibicen. Burm.

25. *Chorus reducto tunc.*] Codices: *Tunc chorus ignotum more docto canticum Imposuit.* Freinshem. *Tunc chorus ignotum mox reducto canticum Insonnit.* Bentl. *Tunc chorus ignotum more docto (i. e. de more) canticum Insonnit.* Burmannus: *Tunc chorus, ex notum mox (vel modo) reducto canticum Imposuit.* Chorus et notum canticum (quod chorus canebat ex more, vel, per *ἔν δὲ δὸς δὸς*, canticum chori) Principem reductum in theatrum fecellit.

28. *Iactant basia.*] Spectatores iactabant basia, quibus choro fauere se significabant. Tibicen ea sibi iactari putabat. Plerique *iactat* legunt, et ad *vibicinem* referunt. Sed, si hoc fecisset, non equites tantum, qui propius in quatuordecim sedebant, sed et populus stultum errorem intelligere potuisset.

36. *Princeps ligato crure.*] Princeps cum ligato crure niuea falcia, Princeps in niueis tunicis et cal-

calceis: non, *superbiens nivea fascia*, quae non cohaerent. Erat vero hic habitus femineus, communisque cum feminis citharoedorum, tibicinum et mollium virorum nationi.

39. Capite.] Praecepta.

FAB. VIII.

OCCASIO DEPICTA.

Cursu volucris, pendens in nouacula,
 Caluus, comosa fronte, nudo corpore,
 Quem si occuparis, teneas: elapsum semel
 Non ipse possit Iupiter reprehendere;
 Occasionem rerum significat breuem.
 Effectus impediret ne segnis mora
 Finxere antiqui talem effigiem temporis.

I. *Cursu volucris.*] Olim *cur sit*, quod corruptum est. Alii hic *tempus* significari putant, non *occasionem*. Illud enim nouaculam manu tenet. Hic vero non cum nouacula, sed *in nouacula pendens*, id est, in acie nouaculae suspensis pedibus stans, nec alata aut volans, sed cursu volucris abitura, pingitur. *In nouacula* exprimit Graecorum ἐν τῷ ποδὶ ἀνωγῆς in acie nouaculae, id est, in ipso auolandi conatu. Vide Erasmi in hoc adag. titulo *discriminis*.

FAB. VIII.

TAVRVS ET VITVLVS.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus,
 Cum vix intrare possit ad praesepia,

Mon.

Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.
Tace inquit, ante hoc noui, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici puter. 5

3. *Plecteret.*] Al. *flecteret*, notiori vocabulo substituto. Sed *plectere* tuetur Burm. et vindicat Schefferus ad h. l. et de re vehicul. lib. I. c. 4. p. 30. quod et *plectrum* dicitur temo, quali *flectrum*.

FAB. X.

VENATOR ET CANIS.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis, quum domino semper fecisset satis,
Languere coepit annis ingrauantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnae suis,
Adripuit aurem: sed cariosis dentibus 5
Praedam dimisit. Hic tum venator dolens
Canem obiurgabat. Cui latrans contra senex:
Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus, laudas, iam damnas, quod non
sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides. 10

1. *Fortis veloces.*] Heins. et Bentl. *fortis* et *velox*: quod probari posset, si *velox aduersus* Latine diceretur.

3. *Ingrauantibus.*] Antiquiores dixissent *ingrauescentibus*: argenteae vero aetati et hoc placuit.

7. *Latrans, cui contra senex.*] Vulgo; *cui senex contra latrans.* Quia vero *latrans* primam nunquam corripit: mutarunt ordinem verborum, qui vnius librarii fidei non plus tribuunt, quam omnium poëtarum auctoritati. Bentl. seruato ordine verborum vulgato, legit *lacon.*

8. *Non te.*] Heinf. Bentl. et alii *non me.* Praestat, nihil mutari.

9. *Quod fuimus laudas.*] Metrum displicet criticis, dissyllabae vocis spondeo in quartam sedem incurrente Hinc Barth. *Quod fuimus laudas, iam dedamnas quod sumus.* Heinf. *Quod fuimus damnas, dum, damnas quod nunc sumus.* Burm. *Quod fuimus laudasti, iam damnas quod sumus.* Gud. et Bentl. *Quod fuimus lauda, si iam damnas quod sumus.*